

& Job XXI. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Luc. XV. 22. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Et similiter quod sancti statim in caelos ascendunt, probatur ex hoc quod habetur II. Corinth. V. 1. (3) *Scio enim quod si terrestri domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus.* Et tamen utrique circa nos aliquando apparent ad utilitatem nostram, sicut Angeli beati huc ad nos accedunt. Nec est simile de animabus damnatorum, & demonibus: quia demones secundum gradum naturae suae constituti erant supra nos, ut ex eis aliqua utilitas nobis proveniret; nec hoc omnino per eorum peccatum deperire debuit: unde dati sunt nobis in exercitium; quod animabus non competit.

Ad sextum dicendum, quod quidam dicunt penam sensibilem ipsorum demonum dilatam esse usque ad diem iudicii; sed hoc videtur esse & contra sanctorum auctoritates, & contra rationem divinae iustitiae, quae statim animas damnatorum poenae infernalis ignis adjudicat, quarum tamen peccatum non est majus peccato demonum. Et ideo alii dicunt, quod in igne infernali semper ardent, quem etiam semper secum deferunt; non tamen ignis ille alia corpora comburit, quia agit ut instrumentum divinae iustitiae in illa tantum quae ad talem poenam addicta sunt. Sed cum sint incorporei, non videtur probabile quod ignem corporalem secum deportent. Unde dicendum, quod semper igne infernali ardent, non tamen eis semper praesente secundum locum: quia non agit corporali modo calefaciendo, & desiccando, sed modo spirituali: unde non requiritur determinata distantia, sicut in actione corporali.

Ad septimum dicendum, quod tria dicta loca debentur cuilibet demoni, secundum diversas conditiones, ut dictum est.

## ARTICULUS IV.

*Utrum in demonibus sit ordo.*

*I. P. quest. CIX. art. 1.*

1. **A**D quartum sic proceditur. Videtur quod in demonibus non sit ordo. Dicitur enim Job X. quod in terra miseriae, & tenebrarum nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Illius autem terrae demones sunt incolae. Ergo in eis non est aliquis ordo.

2. Praeterea. In quibuscumque est ordo praelationis, est aliqua concordia pacis. Sed demones videntur esse discordes: quia, ut dicitur Proverb. XIII. 10. *inter superbos semper sunt iurgia.* Ergo &c.

3. Praeterea. Ordo praelationis cuiuslibet est secundum aliquam regulam juris. Sed voluntas demonum nullo jure dirigi potest. Ergo non potest in eis esse ordo praelationis.

4. Praeterea. Superiores demones gravius peccaverunt secundum quod naturalia meliora acceperant, per quae stare possent. Sed illi qui magis peccaverunt, gravius debent puniri. Ergo non videtur probabile quod praelationem super alios acceperint.

5. Praeterea. Inter homines damnatos non ponitur aliquis ordo praelationis. Sed hominum damnatorum, & demonum est una damnatio. Ergo videtur quod nec in demonibus sit aliquis ordo.

(3) Vulgata, *Scimus.* (1) *Al. adhaeret.* (2) *Al. considerantur.* (3) *Forte removetur, ut & infra est.*

Sed contra est quod dicitur Job LXI. de squamis Leviathan, per quas membra diaboli significantur, quod *una uni (1) adhaerebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* Ergo videtur quod sit inter eos aliqua concordia, & ordo praelationis.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ordinem praelationis in demonibus esse congruit eorum naturae, divinae sapientiae, & propriae nequitiae. Ex natura enim quidam alii superiores fuerunt: & quia peccatum naturam non tollit, consequitur etiam post peccatum ut quidam alii superiores remaneant. Ad sapientiam etiam divinam pertinet ut quae a Deo sunt, ordinata sint ab eo, a quo omnis potestas est, ut dicitur Rom. XI. 11. & ideo potestas demonum ad exercendum homines, & puniendos damnatos, a Deo est; & ideo ordinata per gradus praelationis debet esse. Similiter ex nequitia sua humano generi adversantur; amicos autem esse eos qui unius inimici sunt, consequitur: & ideo ut magis hominibus noceant quasi ad invicem (2) confederantur, ut concorditer, & ordinate impugnent.

Ad primum ergo dicendum, quod ibi omnino (3) removebitur ordo in finem beatitudinis, a quo irremediabiliter ceciderunt; erit tamen in eis ordo potestatis, quae magis a Deo quam ab ipsis est.

Ad secundum dicendum, quod, quantum in ipsis est, demones nunquam concordiam habent; sed ad aliquid unum efficiendum concordant: non enim est probabile quod benevolentiam aliquam ad invicem habeant: sed solum concordiam ad actum aliquem.

Ad tertium dicendum, quod sicut in quolibet malo oportet aliquid boni remanere, cum non totum per malum corrumpatur; ita etiam in actibus iniustitiae potest aliquis ordo juris remanere, sicut patet in latronibus, qui alios injuste spoliantes, inter se aliquam formam iustitiae habent, dum sibi invicem fidem servant: & ita in demonibus esse potest.

Ad quartum dicendum, quod per potestatem habitam, in nullo eorum poena mitigatur; quin potius quanto sunt superiores officio, tanto etiam graviori sunt subiecti tormento: unde dicitur Sapient. VI. 7. *Potentes potenter tormenta patientur.* Nec potestas eis datur in praemium, sed in divinae sapientiae obsequium.

Ad quintum dicendum, quod homines non sunt sibi invicem praeminentes secundum ordinem naturae, & etiam non ordinantur damnati in exercitium aliorum, vel in punitionem; & ita non est similis ratio de demonibus, & hominibus.

## ARTICULUS V.

*Utrum demones qui vincuntur a sanctis, retrudantur in infernum.*

1. **A**D quintum sic proceditur. Videtur quod demones qui a sanctis vincuntur, non retrudantur in infernum. Infligere enim poenam ei qui in pugna succumbit, est incitare ad acrius impugandum. Sed hoc non pertinet ad Dei misericordiam. Ergo &c.

2. Praeterea. Christus efficacius vicit suum tentatorem quam alii sancti. Sed Lucifer, qui Christum tentavit, non est omnino a tentationis officio seclusus: quia tempore Antichristi gravissime homines tentabit. Ergo multo minus alii.

3. Praeterea. Quanto pauciores sunt tentatores, tanto levior est tentatio. Cum ergo continue a Sanctis aliqui demones vincantur, si a tentatione, qui vincuntur, cessarent, in fine mundi levissima esset tentatio: quod falsum est. Ergo & primum.

4. Praeterea. Demones sunt ordinati a Deo ad nostrum exercitium. Si ergo omnino a tentationis exercitio cessarent, omnino ad nihil ordinati essent: quod non competit divinae sapientiae, quia nihil inordinatum reliquit. Ergo &c.

Sed contra. Pugnantibus debet institui aequalis conditio a justo iudice. Sed demones nos vincentes nostrum exercitium minuunt. Ergo videtur quod similiter sit e converso.

Praeterea. Hoc potest probari iustitia humana, quae pugilem victum ad pugnam ulterius non admittit.

## IN QUÆSTIONE II.

reportant, dum eorum hostes vincuntur. Quid tamen horum verius sit, ignotum est: quia nec ratione, nec auctoritate multum confirmari potest.

Ad primum ergo dicendum, quod demonum voluntas semper manet in eadem obstinatione ad nocendum hominibus; & ideo magis prodest quod removeantur a pugna, quia per hoc potestas impugnandi compecitur, quorum iniqua voluntas non minuitur, nec augetur.

Ad secundum dicendum, quod illi qui etiam ponunt demones ab omni tentatione cessare, intelligunt ad tempus determinatum, post quod iterum ad pugnam redeunt.

Et per hoc patet responsio ad tertium. Ad quartum dicendum, quod malum eorum semper est ordinatum per poenam, quam & ipsi semper sustinent, & in inferno damnatis infligunt.

Ad primum ergo dicendum, quod ibi omnino (3) removebitur ordo in finem beatitudinis, a quo irremediabiliter ceciderunt; erit tamen in eis ordo potestatis, quae magis a Deo quam ab ipsis est.

Ad secundum dicendum, quod, quantum in ipsis est, demones nunquam concordiam habent; sed ad aliquid unum efficiendum concordant: non enim est probabile quod benevolentiam aliquam ad invicem habeant: sed solum concordiam ad actum aliquem.

Ad tertium dicendum, quod sicut in quolibet malo oportet aliquid boni remanere, cum non totum per malum corrumpatur; ita etiam in actibus iniustitiae potest aliquis ordo juris remanere, sicut patet in latronibus, qui alios injuste spoliantes, inter se aliquam formam iustitiae habent, dum sibi invicem fidem servant: & ita in demonibus esse potest.

Ad quartum dicendum, quod per potestatem habitam, in nullo eorum poena mitigatur; quin potius quanto sunt superiores officio, tanto etiam graviori sunt subiecti tormento: unde dicitur Sapient. VI. 7. *Potentes potenter tormenta patientur.* Nec potestas eis datur in praemium, sed in divinae sapientiae obsequium.

Ad quintum dicendum, quod homines non sunt sibi invicem praeminentes secundum ordinem naturae, & etiam non ordinantur damnati in exercitium aliorum, vel in punitionem; & ita non est similis ratio de demonibus, & hominibus.

## DISTINCTIO VII.

*Quod boni Angeli sunt a Deo confirmati per gratiam, ut peccare non possint, & mali ita obdurati in malo, ut bene vivere nequeant.*

**S**UPRA (dist. V.) dictum est, quod Angeli qui persistenter, per gratiam Dei confirmati sunt, & qui ceciderunt, a gratia Dei deserti sunt: & boni quidem intantum confirmati sunt per gratiam quod peccare nequeant; mali vero per malitiam adeo sunt obstinati quod bonam voluntatem habere, sive bene velle non valent; etsi bonum sit quod aliquando volunt. Volunt enim aliquando aliquid fieri quod Deus vult fieri, & utique illud bonum est, & iustum fieri; nec tamen bona voluntate illud volunt, nec bene illud volunt.

Quod utrique liberum arbitrium habent, nec tamen ad utrumque flexi possunt.

**S**ED cum nec boni peccare possint, nec mali bene velle, vel bene operari; videtur quod jam non habeant liberum arbitrium, quia in utramque partem flexi non possunt, cum liberum arbitrium ad utramque se habeat. Unde Hieronymus in tract. de prodigio Filio (epist. CXLVI. ad Damasum Papam versus finem) dicit: „Solutus Deus est in quem peccatum cadere non potest: cetera, cum sint liberi arbitrii, in utramque partem flexi possunt.“ Hic dicere videtur, quod omnis creatura in libero arbitrio constituta, potest flexi ad bonum, & ad malum. Quod si est, ergo & boni Angeli, & mali ad utrumque flexi possunt.

In II. Sent. Tom. II. I. (1) *Al. modo.* (2) *Al. At quamdiu.* (3) *Al. non potest videri, quod non potest videri.*

sunt. Ergo & boni possunt fieri mali, & mali boni. Ad quod dicimus, quia boni tanta gratia confirma- ti sunt ut nequeant fieri mali, & mali adeo in malitia obdurati sunt ut non valeant fieri boni; & tamen utrique habent liberum arbitrium: quia & boni non aliqua cogente necessitate, sed propria ac spontanea voluntate, per gratiam quidem adjuvi, bonum eligunt, & malum respuunt; & mali similiter spontanea voluntate a gratia desituti, bonum vitant, & malum sequuntur. Et mali quidem habent liberum arbitrium, sed depressum, atque corruptum, quod surgere ad bonum non valet.

Quod boni post confirmationem liberius habent arbitrium quam ante.

Boni vero arbitrium multo liberius habent post confirmationem quam ante. Ut enim Augustinus tradit in Enchir. cap. cv. 7, non ideo carent libero arbitrio, quia male velle non possunt: multo quippe li- berius est arbitrium quod non potest servire peccato. Neque culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quia beati esse sic volunt ut esse miseri non solum nolint, sed nec prorsus velle possint. Non possunt itaque boni Angeli velle malum, vel velle esse miseri: neque hoc habent ex natura, sed ex gratia beneficio: ante gratia namque confirmationem potuerunt peccare Angeli, & quidam etiam peccaverunt, & demones facti sunt. Unde Augustinus in Lib. I. contra Maximum, cap. xliii. Creaturarum natura celestium mori potuit, quia peccare potuit. Nam & Angeli peccaverunt, & demo- nes facti sunt, quorum diabolus est princeps; & qui non peccaverunt, peccare potuerunt. Et cuius- creaturae rationali praestatur ut peccare non possit, non est hoc naturae propriae, sed Dei gratiae. Ideoque solus Deus est qui non gratia cuiusquam, sed natura sua nec potuit, nec potest, nec poterit peccare. Ecce hic insinuat quod Angeli ante confirmationem peccare potuerunt, sed post confirmationem non possunt. Et quod potuerunt, fuit eis ex libero arbitrio quod est eis naturale; quod vero modo non possunt peccare, non est eis ex natura, id est ex libero arbitrio, sed ex gratia: ex qua gratia etiam est ut ipsum li- berum arbitrium jam non possit servire peccato.

Quod post confirmationem Angeli non possunt ex natura peccare sicut ante, non quod debilitatum sit eorum arbitrium, sed confirmatum.

NON ergo post confirmationem Angeli de natura sicut ante peccare potuerunt: non quod liberum ar- bitrium eorum debilitatum sit per gratiam, sed ita potius confirmatum ut jam per illud non possit bonus Angelus peccare: quod utique non est ex ipso libero arbitrio, sed ex gratia Dei. Quod ergo Hiero- nymus ait: Cetera, cum sint liberi arbitrii, possunt flecti in utramque partem: accipi oportet secun- dum statum in quo creata sunt. Talis enim & homo, & Angelus creatus est quod ad utrumque flecti po- terat; sed postea boni Angeli per gratiam ita confirmati sunt ut peccare non possint, & mali ita vitio ob- durati ut bene vivere nequeant. Similiter etiam illud Isidori intelligendum est: Angeli mutabiles sunt, natura, immutabiles sunt gratia: quia ex natura in primordio suae conditionis mutari potuerunt sive ab bonum, sive ad malum; sed post gratiam ita bono addicti sunt ut inde mutari nequeant. Ad hoc enim repugnat gratia, non natura.

Quod mali angeli vivacem sensum non perdidit, & quibus modis sciant.

ET licet mali angeli ita per malitiam sint obstinati, vivaci tamen sensu non penitus sunt privati. Nam, sicut tradit Isidorus, ubi supra, triplici acumine scientiae vigent demones, scilicet subtilitate naturae, experientia temporum, revelatione superiorum spirituum. De hoc etiam Augustinus ait, Lib. II. super Gen. cap. xvii. in fine. Spiritus mali quaedam vera de temporalibus rebus noscere permittuntur, par- tim subtilitate sensus, partim experientia temporum calidiores, propter tam magnam longitudinem vi- ta, partim sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotenti Deo discunt, jussu ejus sibi revelantibus. Aliquan- do autem iidem nefandi spiritus, & quae ipsi acturi sunt, velut divinando praedicunt.

Quod magicae artes virtute, & scientia diaboli valent: quae virtus, & scientia est ei data a Deo, vel ad fallendum malos, vel ad monendum, vel exercendum bonos.

Quorum scientia, atque virtute etiam magicae artes exercentur: (1) quibus tamen tam scientia quam po- testas a Deo data est, vel ad fallendum fallaces, vel ad monendum fideles, vel ad exercendam, pro- bandamque justorum patientiam. Unde Augustinus in Lib. III. de Trinitate, cap. vii. Video, in- quit, infirmam cogitationi quid possit occurrere, cur scilicet ista miracula etiam magicis artibus fiant; nam & magi Pharaonis serpentes fecerunt, & alia, Exod. vii. & viii. Sed illud est amplius admi- randum, quo modo magorum potentia, quae serpentes facere potuit, ubi ad muscas minutissimas, sci- licet sciniphes, ventum est, omnino defecit, qua tertia plaga Aegyptus caedebatur. Ibi certe defecerunt magi dicentes: Digitus Dei est hic. Ubi intelligi datur, nec ipsos quidem angelos transgressores, & ae- reas potestates in unam istam caliginem tamquam in sui generis carcerem, ab illius sublimis aetherae puritatis habitatione detrusos, per quos magicae artes possunt, quidquid possunt, aliquid valere nisi de supra data potestate. Dat autem vel ad fallendum fallaces, sicut in Aegyptios, & ipsos etiam magos data est, ut in eorum spirituum operatione (2) judicarentur admirandi, a quibus fiebant a Dei veritate damnandi; vel ad monendum fideles, ne tale aliquid facere pro magno desiderant, propter quod etiam nobis in Scriptura sunt prodita; vel ad exercendam, probandamque, & manifestandam justorum pa- tientiam.

(1) Al. quibusdam, item quibus tamen non tam scientia &c. (2) Al. viderentur.

Quod transgressoribus Angelis non servit ad nutum materia rerum visibilium.

NEC putandum est istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilia rerum materiam; sed Deo potius, a quo haec potestas datur, quantum incommutabilis iudicat.

Quod non sunt creatores; licet per eos magi ranas, & alia fecerunt: sed solus Deus.

NEC sane creatores illi mali angeli dicendi sunt, quia per illos magi ranas, & serpentes fecerunt. Non enim ipsi eas creaverunt. Omnium quippe rerum quae corporaliter, visibiliterque nascuntur, occulta qua- dam semina in corporeis hujus mundi elementis latent, quae Deus originaliter eis indidit. Ipse enim crea- tor est omnium rerum qui creator est invisibilium nascendo: quia quaecumque nascendo, ad oculos nostros exeunt, ex occultis seminibus accipiunt progrediendi hic primordia, & incrementa debita magnitudinis, distinctionesque formarum ab originalibus, ut ita dicam, regulis sumunt.

Sicut parentes non dicuntur creatores filiorum, nec agricola frugum; ita nec boni Angeli, nec mali, etsi per eorum ministerium fiant creaturae.

Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quamvis eorum extrinsecus adhibitis motibus, ad ista creanda Dei virtus interius operetur; ita non solum malos, sed nec bonos Angelos fas est putare creatores; sed (3) pro subtilitate sui sensus & corporis semina istarum rerum nobis occultiora noverunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt; atque ita & gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum praebent occasiones. Sed nec boni haec mi- litia voluntatem suam habent injustam, potestatem autem non nisi juste accipiunt, sive ad suam poenam, sive ad aliorum, vel poenam malorum, vel laudem bonorum.

Sicut justificationem mentis, ita creationem rerum solus Deus operatur, licet creatura exterius serviat.

Sicut ergo mentem nostram justificando formare non potest nisi Deus; praedicare autem extrinsecus ita creationem rerum visibilia Deus interius operatur; exterioribus autem operationibus, atque contempe- rationibus, sive occasiones ab Angelis tam bonis, quam malis, vel etiam hominibus adhibentur. Sed haec ab hominibus tanto difficilius adhibentur, quanto eis desunt sensuum subtilitates, & corporum mobilita- tes membris terrenis, & pigris. Unde qualibuscumque Angelis vicinas causas ab elementis contrahere, quanto facilius est, tanto mirabiliores in hujusmodi operibus eorum existunt celeritates. Sed non est crea- tor nisi qui principaliter ista format, nec quisquam hoc potest nisi unus creator Deus. Aliud est enim ex intimo ac summo causarum cardine condere, ac ministrare creaturam, quod facit solus creator Deus; aliud autem pro distributis ab illo viribus, & facultatibus aliquam operationem forinsecus admove- re, ut tunc, vel tunc, sic, vel sic exeat quod creatur. Ista quippe originaliter, ac primordialiter in quadam tex- tura elementorum cuncta jam creata sunt; sed acceptis opportunitatibus postea prodeunt.

Quod angeli mali multa possunt per naturae vigorem quae non possunt propter Dei, vel bonorum Angelorum prohibitionem, id est quia non permittuntur.

ILLud quoque sciendum est, quod angeli mali quaedam possunt per naturae subtilitatem, quae tamen non possunt propter Dei, vel bonorum Angelorum prohibitionem; id est, quia non permittuntur illa facere a Deo, vel ab Angelis bonis. Possent utique sciniphes fecisse qui ranas, serpentesque fecerunt. Quaedam vero non possunt facere, etiam si permittantur ab Angelis superioribus, quia non permittit Deus. Unde Augustinus in Lib. III. de Trinitate (cap. ix. in medio) Ex ineffabili potentatu Dei fit ut quod pos- sent mali angeli, si permittentur, ideo non possunt, quia non permittuntur: neque enim occurrit alia ratio cur non potuerunt facere sciniphes qui ranas, serpentesque fecerunt, nisi quia major aderat do- minatio prohibentis Dei per Spiritum Sanctum: quod etiam magi confessi sunt, dicentes (Exod. viii. 19.) Digitus Dei est hic. Quid autem possint per naturam, nec tamen possint propter prohibitionem, & quid per ipsius naturae suae conditionem facere non sinantur: homini explorare difficile est, immo im- possibile. Novimus hominem posse ambulare, & neque hoc posse, si non permittatur; volare autem non posse, etiam si permittatur. Sic & illi Angeli quaedam possunt facere, si permittantur ab Angelis poten- tioribus ex imperio Dei; quaedam vero non possunt, etiamsi ab eis permittantur: quia ille non permit- tit a quo illis est talis naturae modus: qui etiam per Angelos suos illa plerumque non permittit quae con- cessit ut possint.

DIVISIO TEXTUS.

Determinatis his quae pertinent ad naturae condi- tionem quantum ad bonos, & malos Angelos communiter, hic consequenter tractat ea quae perti- nent ad eorum potestatem, & virtutem: & dividi- tur in partes duas. In prima determinat eorum po- restatem respectu operationum quas in seipsis ha- bent; in secunda respectu illarum operationum quas in alia exercent, ibi: Quorum scientia, atque virtute etiam magicae artes exercentur. Circa primum duo facit. Primo ostendit eorum virtutem respectu ope- In II. Sent. Tom. II. 12

rationum voluntatis, vel liberi arbitrii; in secunda respectu operationis intellectus, ibi: *Et licet mali Angeli ita per malitiam sint obdurati, vivaci tamen sensu non sunt penitus privati.* Circa primum duo faciunt. Primo determinat veritatem; secundo inducit quamdam quaestionem, quam primo movet, ibi: (4) *Sed cum nec boni peccare possint, nec mali bene velle, vel bene operari; videtur quod jam non habeant liberum arbitrium; secundo determinat eam, ibi: Ad quod dicimus, &c.* Circa quod primo confirmat illud verum quod in objectione supponebatur, scilicet quod boni Angeli & mali habent liberum arbitrium; secundo respondet ad objectionem, ibi: *Quod ergo Hieronymus ait... accipi oportet secundum statum in quo creata sunt.*

Quorum scientia, atque virtute etiam magica artes exercentur. Hic ostendit eorum virtutem in operationibus quas in subjectam materiam exercent, & circa hoc tria facit. Primo enim ostendit hujus virtutis principium collativum, & finem. Secundo ostendit operandi modum, ibi: *Nec putandum est, istis transgressoribus angelis ad nutum servire hanc visibilibus rerum materiam.* Tertio ostendit impedimentum (s) operandi sua virtute, ibi: *Illud quoque sciendum est, quod angeli mali quaedam possunt per naturam subtilitatem, quae tamen non possunt propter Dei, vel bonorum Angelorum prohibitionem.* Circa secundum tria facit. Primo excludit duplicem modum falsum; secundo ostendit modum verum, ibi: *Omnium quippe rerum quae corporaliter, visibiliterque nascuntur, occulta quaedam semina in corporeis mundi hujus elementis latent; tertio proponit exemplum primo in corporalibus actionibus, ibi: Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum... ita non solum malos, sed nec bonos Angelos fas est putare creatores; secundo in spiritualibus, ibi: Sicut ergo mentem nostram justificando formare non potest nisi Deus... ita creationem rerum visibilibus Deus interior operatur.*

QUAESTIO I.

**H**IC est triplex quaestio. Prima de statu liberi arbitrii in bonis, & in malis Angelis. Secunda de cognitione malorum. Tertia de virtute eorum.

Circa primum quaeruntur duo.  
Primo. De confirmatione bonorum Angelorum.  
Secundo. De obstinatione malorum.

ARTICULUS I.

*Utrum Angeli boni possint peccare.*

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod Angeli possint peccare. Quia, secundum Philosophum (IX. Metaph. text. x.) potestates rationales sunt ad opposita. Sed liberum arbitrium quod in Angelis bonis manet, est rationalis potestas, quia est facultas rationis, & voluntatis secundum Augustinum. (a) Ergo videtur quod si possunt bene velle, quod etiam possint peccare.

2. Praeterea. Sicut corruptibile nunquam mutatur, ut fiat aeternum, ut dicit Philosophus in I. Caeli & mundi (text. cxxx. & seq.) ita videtur quod mobile nunquam fiat immobile. Sed liberum arbitrium Angeli fuit in statu creationis mobile in peccatum. Ergo nunquam factum est immobilitate.

(4) Al. Sed est nihil boni &c. (5) Al. iterandi. (1) Al. deest sicut. (2) Al. & finis ultimus, sicut principium, &c.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Ex ejus quidem verbis colligi potest, & nominatim Lib. de Corrept. & grat. cap. xi. pro quo prius inepte ad marginem & ridicule notabatur Aug. I. Caeli & Mar. t. 11.

trium Angeli fuit in statu creationis mobile in peccatum. Ergo nunquam factum est immobilitate.

3. Praeterea. Quanto aliqua virtus in agis est determinata ad unum, minus est libera, sicut patet in virtutibus naturalibus quae per necessitatem agunt. Sed arbitrium Angeli est liberius post confirmationem quam ante, ut in littera dicitur. Ergo videtur quod non sit determinatum tantum ad bonum, sed possit etiam in peccatum.

4. Praeterea. Nulla ratio laudabilitatis subtrahenda est a bonis Angelis. Sed haec est ratio laudis in hominibus quod non peccent, cum peccare possint, (1) sicut Eccli. xxxi. 10. in laudem boni viri dicitur: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Ergo videtur quod hoc etiam in Angelis sit.

Sed contra. Immobilitas est de ratione felicitatis, ut dicit Philosophus in I. Ethic. cap. xi. Non enim aestimandum est felicem esse chameleontem. Sed si peccarent, moverentur a statu rectitudinis. Ergo beati Angeli peccare non possunt.

Praeterea. Motus non est in termino, sed in via ad terminum. Angeli autem non sunt viatores. Ergo moveri in peccatum non possunt.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sicut Deus per naturam suam habet quod peccare non possit, ita & hoc Angelus habet per gratiam confirmationis: quod sic patet. Principium mutationis, & causa est rei possibilitas; nec defectus esse potest nisi per potentiam incompletam. Illud ergo cui nihil admiscetur de potentia secundum naturam suam, nec mutari, nec deficere potest; illud autem cui admiscetur potentia, quae tamen tota per actum completur, potest quidem quantum in se est, deficere, & mutari, secundum quod esse, & completionem suam non nisi ab alio habet; sed ratione perfectae receptionis, quae nihil potentiae imperfectum relinquit, habet immobilitatem, & indeficientiam. Hujusmodi autem exemplum sumi potest in naturalibus, & intellectualibus. Invenitur autem in naturalibus quorundam potentia naturalis omnino completa & per suam esse, & per suam formam: & ideo esse indeficiens habent, sicut patet in Angelis, & in corporibus celestibus, quorum potentia non est susceptiva alicujus alterius esse, vel formae: unde elongata sunt a privatione, & per consequens a corruptione. Sed materia aquae non tota completur per formam aquae hoc modo ut reducat in omnem perfectionem possibilem per eam: unde simul cum forma aquae manet privatio formae aeris; & ideo haec corruptibilia sunt. Et similiter patet in intellectualibus: quia principium immediatum naturaliter cognitum determinat potestatem totam rationis. Ante enim quam ad ipsum deveniatur per inquisitionem resolvablem, ita adheretur uni parti, ut relinquatur quaedam pronitas ad partem aliam per modum dubitationis; sed quando resolvendo pervenitur ad primum principium per se notum, firmatur ad unum cum impossibilitate alterius. Similiter est de voluntate Angeli beati, ad quem ita se habet lumen gratiae, vel gloriae, & virtus, sicut forma, vel actus in naturalibus, (2) & finis ultimus in moralibus, & principium primum.

num in speculativis: quia secundum Philosophum VI. & VII. Ethic. cap. viii. & II. Physic. text. xci. finis in voluntariis operationibus est sicut principium in speculativis. Unde cum per lumen gloriae perfecte ultimo fini conjungantur per fruitionem plenam, ejus bonitate affecti toti, in contrarium deflecti non possunt.

Ad primum ergo dicendum, quod rationalis potestas dicitur esse oppositorum, quae sub electione cadunt, quorum proprie est liberum arbitrium. Electio autem non est de fine, sed de his quae sunt ad finem; & haec non eliguntur nisi secundum regulam finis, quae est in aestimatione: & ideo de fine non potest voluntas contrarie se habere. Voluntas enim non potest esse de miseria, neque de malo, in quantum hujusmodi; sed semper est de bono, & de beatitudine: ad quam tamen consequendam possunt homines diversas vias eligere, scilicet secundum quod in illis melius existimant se posse felicitatem consequi: unde potest esse error in electione eorum quae sunt ad finem ipsum: & ideo apud illos quorum est indeficiente recta aestimatio finis, sicut apud Angelos, qui ipso fine perficiuntur, impossibile est esse voluntatem alicujus eorum quae a fine deordinant, cujusmodi est voluntas peccati. Sed tamen possunt velle hoc, vel illud, quorum neutrum a fine deordinat; & sic salvatur proprietas rationalis potestatis, in quantum possunt hoc facere, vel non facere; quamvis non possint in haec opposita, bonum, & malum.

Ad secundum dicendum, quod non est possibile ut in eodem subiecto succedant sibi corruptibilitas, & incorruptibilitas, vel mobilitas, & immobilitas, ita quod utrumque reducat in ejus principia naturalia. Et sic etiam dicimus, quod liberum arbitrium Angeli, quod per naturam mobile erat, non est factum per naturam immobile, sed per gloriam.

Ad tertium dicendum, quod potestas Angeli nunquam determinatur ad unum, nisi in actibus conjungentibus fini, quin possit hoc facere, vel non facere, aut hoc, vel illud facere; non tamen potest propter hoc peccare: quia, secundum Anselmum in Prologo (b) (de gratia, & lib. arbit. circa princ.) posse peccare non est liberum arbitrium, nec pars libertatis: quia liberum arbitrium est libertas eligendi hoc, vel illud eorum quae in finem ducunt.

Ad quartum dicendum, quod laudabilitas non dependet essentialiter a potestate peccandi, sed a voluntate adherente bono: alias virtuosus, in quo est minor mobilitas ad peccandum, esset minus laudabilis in actu suo, quam carens virtute, & bonum operans. Sed potestas peccandi est signum laudabilitatis respectu laudantium, in quantum ostendit non coacte voluntatem bono adherentem.

ARTICULUS II.

*Utrum daemones possint bonum facere.*

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod daemones possint bonum facere, & non sint obstinati in malo. Natura enim intellectualis ordinata est ad beatitudinem, cujus facta est capax. Sed in daemone manet natura post peccatum. Ergo non sunt adeo obstinati quin possint bonum velle, & beatitudinem consequi.

Ex Edit. P. Nicol. (b) In Dialogo de Lib. Arbit. cap. 1. non in Prologo, sicut prius, ubi dicitur tantum Deus multa non posse, quia haec posse, non potentia est, sicut mentiri; sed nihil huc expresse pertinens, ut cap. vii. patet.

2. Praeterea. Dionysius dicit in cap. de divinis Nominibus (circa medium) quod daemones bonum appetunt, ut esse, vivere, & intelligere. Sed bona appetendo habet quis bonam voluntatem. Ergo videtur quod daemones bonam voluntatem habere possint.

3. Praeterea. Synderesis in daemone non est extincta; alias vermen conscientiae non haberent. Sed actus synderesis est remurmurare malo; hoc autem bonum est. Non ergo omnis eorum actus malus est.

4. Praeterea. Jac. videtur, quod daemones credunt, & contremiscunt. Sed utrumque horum bonum est. Ergo eorum aliquis bonus est actus.

Praeterea. Omnis actus peccati alicuius in malitia crescit, & in merito majoris poenae. Si ergo daemones omni actu suo peccant, videtur quod poena eorum in infinitum crescat, cum obstinatio reatum poenae non tollat: aliter enim ex sua malitia commodum reportarent. Ergo poena eorum in infinitum crescit: quod est inconveniens.

Sed contra. Augustinus (Fulgentius) in Lib. de Fide ad Petrum, cap. vii. dicit: *Daemones nec mala voluntate carere possunt, nec poenae.* Sed ex mala voluntate nunquam procedit nisi actus malus. Ergo videtur quod omnis eorum actus malus sit.

Praeterea. Sicut Angeli per conversionem effecti sunt boni, ita daemones per aversionem facti sunt mali. Sed Angeli beati malum facere non possunt, ut prius dictum est. Ergo nec daemones bonum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in daemone est natura bona a Deo creata, sed voluntas mala; cujus malitiae ipsi sunt causa: & ideo omnis actus naturae eorum bonus est, sed actus voluntatis eorum est malus. Actum autem malum contingit esse dupliciter: aut quantum ad substantiam actus, sicut malus actus voluntatis est fornicari, vel mentiri; aut quantum ad modum agentis, sicut cum quis appetit laudis dat eleemosynas. Possunt ergo daemones aliquid bonum actum ex genere facere, nullo tamen modo bona voluntate: cujus obstinationis ratio diversimode assignatur.

Quidam enim dicunt, quod liberum arbitrium Angeli medium est inter divinum & humanum in hoc quod divinum immobile est ante electionem, & post; humanum vero mobile ante, & post; angelicum vero mobile ante, sed immobile post. Sed haec ratio supponit illud cujus causa queritur, scilicet immobilitatem post Angelorum electionem. Et praeterea secundum hoc non posset assignari ratio confirmationis, & obstinationis hominum defunctorum.

Alia ratio assignatur, quia cum Angelus sit indivisibilis, ad quodcumque se convertit, totaliter convertitur. Sed haec videtur insufficientis: quia quamvis sit indivisibilis in essentia, est tamen divisibilis virtute, secundum quod virtus ejus ad multa se extendit, & hoc est secundum objecta; & secundum quod magis & minus alicui se applicat, & hoc est secundum intensiorem, & remissionem actus. Unde non oportet quod sua operatio procedat ab eo secundum totam suam virtutem, cum sit dominus sui actus.

Alia ratio sumitur per hoc quod homo per alterum